

controversia fatear, equam tamen esse nemo nisi iniquissimus dixerit, utpote cum ego ultro citroque tam negotiosa quam infinita occupatione implicitus, aut nullus aut certe rarissimus ad hanc ociosam scribendi operam cessare valeam. Quin^b tu, qui^b te^b ipsum agas, quid labores, quid studeas, intermissa vel magis omissa hac forensi iactatione nosse desiderem. Certe nisi ipse tibi, quod absit, defueris, natura te locupletissima ingenii dote cumulavit. Neque enim in ordinem eorum te redegerim, 'qui paululum aliquid ultra primas litteras progressi falsam sibi scientie persuasionem induerunt. Nam et cedere precipiendi partibus indignantur et velud iure quodam potestatis, quo fere hominum genus intumescit, imperiosi atque interim sevientes stulticiam suam perdocent.'¹ Tu vero et cum . . .^c discis, quæ sit atentissima, et doces cum benivolentia, quæ sit indulgentissima, studes ut qui vigilanter, disputas ut qui subtiliter, denique ut Marcialis tuus ait²: 'facis omnia belle'. Unde te sic devotum familiaremque litteris non possum non^d amare. Velim ergo te etiam atque etiam monitum, ut opinionis tue auram gratiosam et nostri de te testimonium, si ullum id estimas, monimentum perpetue probitatis tenore corrobore. Neque vero hoc te iudicio et non potius multo amore ammoneri credideris. Ut enim ait ille³: 'Vela damus ventis, quamvis remige navis eat.' Vale in Christo.

31.

M(einhard) an D.: freut sich über die Gesundheit des Adressaten und kündigt seine Ankunft in Speyer an.

(1064 etwa Frühjahr—Sommer.)

Cod. Paris lat. 2903 fol. 58'.

Dilecto fratri D. M. salutem in Christo.

Gratiosa fama de te per hunc nuncium affectus sum, te scilicet integra valitudine, quæ Spire rara avis est, gloriari. Difficilem quippe fidem apud expertos miretur Spire quemquam domestice febris immunem solenne canicularium declinare posse periculum.

30. ^b) *scheint verderbt.* ^c) *erg. diligentia o. ä.* ^d) *folgt nochmals possum c.*

¹) *Quintilian 1, 1, 8, wie in n. 24.* ²) *Epigr. 2, 7, 7.* ³) *Ovid, Tristia 5, 14, 44.*